

tatem eligendi unum prae alio. E. g., interna experientia com-
pertum mihi est, me ita velle deambulationem, ut possim eam
non velle, brachium ita movere, ut possim sistere, studio ita va-
care, ut integrum mihi sit otio indulgere. In his, sexcentisque
aliis volitionibus tanta evidentia de nostra eligendi potestate con-
sensus sumus, tantaque evidentia experimur ipsas pleno nostrae
voluntatis dominio subiaci, ut in antecessum eas disponere, et
praedicere valeamus. Atqui in hac eligendi potestate libertas ar-
bitrii consistit. Ergo voluntatem nostram libertate arbitrii do-
nari certo certius est. Accedit quod testimonio eiusdem intimae
experientiae novimus animam nostram ob res bene gestas gau-
dio perfundi, et si quando flagitium quoddam patrarit, aculis
stimulis tangi, taedioque labefactari. Atqui anima has affectio-
nes voluptatis, aut taedii minime experiretur, nisi seipsam pror-
sus liberam esse cognosceret ¹, et reipsa nullam taedii affectio-
nem experimur, si patramus aliquod flagitium ex ignorantia,
aut ex alia causa, ob quam actio non fit cum deliberatione, ac
proinde non est libera. Ergo.

2^o Eadem veritas ex absurdis oppositae sententiae consecrariis
comprobatur. Etenim, ut s. Augustinus argumentatur, sublata
libertate, doctrina morum ruit; si enim ex necessitate facimus
quidquid facimus, nullum remanet discrimen inter virtutem, et
vitium ²; neque legibus, obiurgationibus, laudibus, poenis, et
praemiis ullus restaret locus ³, quia his omnibus locus esse ne-
quit, nisi actus ita in nostra potestate sint, ut illos pro arbitra-
tu nostro ponere, vel non ponere possimus. Insuper ruunt cu-
iuslibet civitatis fundamenta, quippe quod, ut modo diximus,
nullius momenti evadunt leges, praemia, et poenae, quorum
praesidiis civitas munitur; necnon contractus, et foedera, qui-
bus cives inter sese vincuntur; haec enim eadem necessitate vio-
larentur, qua fuissent instituta. Denique ruit quaevis religio;
nam si homines libertate carent, nullis officiis erga Deum ob-
stringuntur, nullumque illi cultum exhibere tenentur. Quam-
obrem qui hominem libertate expoliat, cum simul domo, civitate,
religione destituit, bellisque prorsus exaequat.

3^o Denique eidem veritati non parum roboris additur ex uni-

¹ Cf. s. Aug., *De actis cum Felice Manichaeo*, lib. II, c. 8.

² *Lib. de duab. Anim.*, c. 12, n. 17. — ³ *De Civ. Dei*, lib. V, c. 9.

versali hominum consensione. Re quidem vera, omnes homines
cum docti, tum indocti in asserenda libertate *indifferentiae* mi-
rifice consentiunt; nam omnes solent consultationes instituere
de rebus agendis, ineunt pacta, agnoscunt differentiam inter
honestas, et pravas actiones, aliaque huiusmodi, quibus, subla-
ta libertate, locus esse non posset ¹. Quod si nonnulli libertatem
voluntati denegant, hi admodum perpauci sunt, atque ipsi, li-
cet libertatem verbis denegent, tamen eam opere docent. Nam,
ut Eusebius iam advertit ², ipsi libertatis osores de rebus fa-
ciendis deliberant, aliorum facinora aut laudant, aut vituperant,
filios admonent, poenis afficiunt, et ad bonam frugem revocare
conantur. Quare ipsi suam sententiam operibus destruunt, et
sibimetipsis contradicunt.

ART. IX. *Quomodo liberi actus voluntatis ab intellectu pendeant*

226. Tres sunt circa hanc quaestionem Philosophorum sen-
tentiae. Sunt, qui cum Kingio Archiepiscopo Dublinensi con-
tendunt voluntatem eligere aliquod obiectum sine ullo *motivo*,
nempe sine praevio iudicio, quo intellectus bonitatem et conve-
nientiam illius obiecti pronuntiet; quinimmo autumant bonita-
tem, et convenientiam obiecti esse potius effectum, quam moti-
vum volitionis, ita ut obiectum non eligatur a voluntate ex
eo, quod veluti bonum ab intellectu apprehenditur, sed potius
bonum fiat ex eo, quod a voluntate eligitur. Quapropter eorum
enunciatum hoc est: *Placet, quia eligitur*.

227. Alii permulti inter recentes Philosophos post Scotum ³
concedunt nullam esse voluntatis actionem, cui aliquod iudicium
non praecedat; sed subdunt voluntatem ab illo iudicio non de-
terminari, ita ut, posito etiam praevio iudicio, indifferens ma-
neat ad agendum secundum, vel contra illud. Quare interrogan-
ti, cur potius hoc, quam illud velimus, responderi posse aiunt
cum Iuvenali: *Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas*.

228. Tertia sententia eorum est, qui cum s. Thoma docent e-
lectionem voluntatis ita pendere a iudicio intellectus, ut ab hoc
omnino determinetur, sive ut voluntas non possit agere con-

¹ Cf. eundem s. Aug., *Lib. de duab. Anim.*, c. 11, n. 15.

² *De praep. ev.*, lib. VII, c. 7.

³ *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. un.

tra illud, quod intellectus ultimo iudicio suo practico decernit, et subduñt nihil inde, quod libertati voluntatis obest, elici posse, quia iudicium, a quo voluntas determinatur, est liberum.

229. Prop. 1^a. *Voluntas humana non potest actus suos exercere sine motivo, nempe sine ullo rationis momento.*

Probatur contra defensores primae sententiae. Voluntas, uti apud omnes in confesso est, inter facultates intellectrices recensenda est. Atqui huiusmodi non esset, si sine ullo rationis momento se exercere posset. Ergo.

230. Praeterea, obiectum voluntatis non nisi in eo, quod tamquam bonum apprehenditur, consistit; quapropter, si voluntas ad agendum se determinaret, quin intellectus deprehenderet in obiecto ullam speciem bonitatis, ipsa circa nullum obiectum versaretur. Atqui hoc est absurdum, quia ad naturam cuiuslibet facultatis animae pertinet circa aliquod obiectum versari. Ergo fieri nequit ut voluntas sine ullo rationis momento, nempe sine praevio iudicio de bonitate et convenientia obiecti ad actus suos determinetur ¹.

231. Prop. 2^a. *Posito iudicio, quo intellectus aliquid faciendum vel non faciendum esse decrevit, voluntas non potest manere indifferens ad agendum secundum, vel contra illud.*

Probatur contra propugnatores secundae sententiae. Si postquam intellectus decrevit aliquid esse faciendum, vel non faciendum, voluntas se determinare posset ad oppositum, huiusmodi determinatio destitueretur omni rationis momento, sive motivo, quia nulla ratio foret, cur voluntas se ad oppositum determinaret. Neque dici potest hoc motivum agnoscendum esse in eo; quod voluntas ita vult: nam, quemadmodum s. Thomas apposite advertit, velle est *quidam motus tendens in aliquid*, ac proinde *stultum est dicere quod aliquis appetat propter appetere* ², nempe voluntatem velle propter ipsum velle. Atqui, uti in praecedenti propositione ostensum est, voluntas non potest se ad aliquid determinare sine motivo. Ergo, posito iudicio, quo intel-

¹ De illo Kingii pronuntiato, obiectum nempe ex eo bonum effici, quod a nobis eligitur, nihil dicimus; siquidem, illo admissio, nullarum actionum absoluta, et obiectiva bonitas, aut pravitas esset agnoscenda: id, quod philosophiae morali prorsus adversatur.

² In lib. III De Anim., lect. XV.

lectus aliquid faciendum, vel non faciendum esse decrevit, voluntas non potest se determinare ad oppositum.

232. Refutatis duabus prioribus sententiis, tertiam propugnandam suscipimus. Ut autem perspicuitati consulamus, nonnulla praemonenda esse censemus. 1^o Certum est voluntatem non posse eligere quidpiam sine praevio iudicio rationis, quia ipsa est appetitus rationalis, eiusque obiectum est quoddam bonum, quod intellectus iudicat consentaneum esse nostrae naturae ¹.

2^o Iudicium, ex quo voluntas ad electionem movetur, est iudicium practicum, non vero speculativum; nam iudicium speculativum consistit in apprehensione veri, ac proinde non potest movere voluntatem, cuius obiectum est bonum, ad operationem eligendam ².

3^o Huiusmodi iudicium practicum nequit esse universale, et indeterminatum, quia operatio, sive electio voluntatis est aliquid determinatum, et particulare, ideoque ex iudicio indeterminato, et universali oriri non potest ³. Quapropter iudicium, quod, tamquam motivum, ad actum electionis concurrat, est iudicium particulare, quod intellectus practicus, ut antea diximus, efficit ex applicatione principii universalis ad proprietatem concretam, et particularem alicuius obiecti ⁴.

4^o Electioni voluntatis plura iudicia praecedere solent. Iam ex hisce illud, quo intellectus, cunctis libratis, atque expensis, decernit hoc tandem eligendum esse, ad electionem voluntatis immediate concurrat, ac proinde *ultimum* vocatur ⁵.

5^o Radix, sive *subiectum* libertatis est quidem ipsa voluntas ⁶; nam voluntas naturaliter non determinatur, nisi ad bonum commune, ac proinde potest ex sua natura, nempe, ut inquit s. Thomas, « nulla determinatione naturali in contrarium prohibente ⁷ », ad diversa particularia bona ferri.

6^o At radix, sive *causa* libertatis « est ratio; ex hoc enim voluntas potest in diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni ⁸ »: nempe ideo voluntas circa bona particularia est libera, quia intellectus potest libere, sive hoc, vel illo

¹ Cf p. 161. — ² 1^a 2^{ae}, q. XIX, a. 1 ad 2.

³ In lib. III De Anim., lect. XVI. — ⁴ Cf p. 151.

⁵ Qq. dispp., De Ver., q. XVI, a. 1 ad 15.

⁶ 1^a 2^{ae}, q. XVII, a. 1 ad 2. — ⁷ Contr. Gent., lib. III, c. 48, a. 5.

⁸ 1^a 2^{ae}, ibid.

modo de bonis particularibus iudicare. Hinc homo non nisi ex eo, quod rationalis est, libertate pollere dicitur¹, et discrimen inter eius operationes, et operationes brutorum, atque rerum naturalium non nisi in eo consistit, quod res naturales agunt absque iudicio, bruta ex iudicio naturali, at non libero, homines ex iudicio libero². Praestat dilucidius hanc rem explicare, nempe iudicia, quae ratio circa operabilia efformat, esse libera. Operabilia sunt quidem contingentia. Atqui intellectus libere exerit iudicia, quae versantur circa contingentia; nam intellectus, ut diximus, ex terminorum comparatione de rebus iudicat, unde cum deprehendit praedicatum ad essentiam subiecti pertinere, cogitur hoc, et non alio modo iudicare; e contrario, cum deprehendit praedicatum cum subiecto haud necessario connecti, uti evenit in iis, quorum materia est contingens, ad utramvis partem inclinare potest. Ergo iudicia circa operabilia sunt libera³. Fatemur ultimum iudicium practicum esse determinatum, alioquin, ut paulo ante diximus, nulla voluntatis actio ipsum consequi posset; sed contendimus non esse absolute necessarium, quia intellectus ita iudicat, ut potuisset secus iudicare, quemadmodum in enunciationibus probabilibus mens ita inhaeret uni parti, ut alteri etiam adhaerere potuisset.

233. His praestitatis, demonstramus sequentem propositionem: *Voluntas non potest quidquam agere contra illud, quod intellectus ultimo iudicio practico decernit⁴; neque id eius libertati obest.*

*Probat*ur prima pars. *Motivum*, quo voluntas aliquid eligit, non nisi ultimum iudicium practicum intellectus, uti iam ostendimus, esse potest; quapropter, si voluntas posset eligere aliud ac illud, quod per huiusmodi iudicium ab intellectu sibi proponitur, electio voluntatis sine motivo existeret. Atqui, uti etiam demonstravimus⁵, absurdum est electionem voluntatis absque motivo existere. Ergo.

*Probat*ur altera pars. Radix libertatis, sicut causa, invenitur

¹ I, q. LXXXIII, a. 1 c. — ² *Ibid.* — ³ *Ibid.*

⁴ *Qq. disp. De Ver.*, q. XXIV, a. 2 c. Sanctus Doctor hoc in loco quoque observavit electiones illas, quae fieri videntur contra illud, quod intellectus iudicat, contrarias esse iudicio practico universali, at non illi, quod ultimum dicitur.

⁵ Cf p. 174.

in praevio iudicio intellectus, quapropter, etiamsi voluntas contra ultimum iudicium practicum sese determinare non possit, tamen eius actus sunt liberi, dummodo consequantur iudicium liberum, nempe eiusmodi, ut aliter fieri potuisset. Atqui, ut iam ostensum nobis est, actus voluntatis consequuntur iudicium, quod aliter fieri potuisset. Ergo ex eo, quod voluntas non potest quidquam agere contra illud, quod intellectus ultimo suo iudicio practico decernit, nihil, quod eius libertati obest, elici potest. Id ex eo confirmatur, quod voluntas, ut s. Bonaventura inquit¹, « non sequitur principaliter actum alienum (*nempe intellectus*), imo potius actum alienum trahit ad proprium »; videlicet, ipsa voluntas in consilium adhibet intellectum, eiusque attentionem ad hoc potius, quam ad aliud contemplandum convertit; atque ita efficit, ut intellectus hoc potius, quam aliud iudicium practicum pronuntiet. Si igitur ex voluntatis imperio intellectus ultimum iudicium practicum pronuntiat, dicendum est actum voluntatis, qui illud iudicium consequitur, non esse necessarium, nisi necessitate *consequenti*, illa scilicet, qua eo ipso, quo voluntas aliquid vult, non potest simul ipsum non velle².

¹ *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, p. I, a. un., q. 6 *ad arg.*

² *Ii*, qui huic circa libertatis originem sententiae adversantur, progressum consultationum, et volitionum in infinitum in ea admitti arbitrantur, quia omni volitioni aliqua consultatio, et omni consultationi, quippe quae voluntaria est, aliqua volitio praecedere deberet. At ipsi errore decipiuntur. Etenim probe distinguere oportet actum, cuius vi consultatio suscipitur, ab actibus, qui ipsam constituunt. Si primum spectetur, consultatio procul dubio a voluntate pendet, quippe quod haec intellectum determinat ad ea media inquirenda, quae ad finem sibi propositum assequendum idonea sunt. Ast hac in re progressus in infinitum pertimescendus non est, quia id, quod primo movet voluntatem, et intellectum ad exercitium actus, est Deus (cf p. 165-166; cf etiam I, q. LXXXII, a. 4 ad 3, et 1^a 2^{ae}, q. XVII, a. 5 ad 3). Quod si actus, qui consultationem constituunt, considerentur, hi consistunt in variis iudiciis, quae circa media opportuna ad aliquem finem assequendum efficiuntur, et quoniam versantur circa media, quae non praesecerunt necessariam cum fine connexionem, ex sui natura, non vero ex voluntatis motione sunt libera, seu indifferentia (1^a 2^{ae}, q. cit., a. 6 c.); voluntas autem, movens intellectum ad istam potius, quam ad illam conditionem perpendendam, aliquid ex iis iudiciis determinatum reddit. Neque voluntas praevia consultatione indiget, ut intellectum ad rem sub illo potius, quam sub isto respectu considerandam moveat, sed id efficit ex aliqua occasione, e.g., ex eo, quod ad id ab appetitu sensitivo movetur. Cf p. 164.

ART. X. *Obiectiones Fatalistarum* ¹ *exsufflantur*

234. Obiic. 1^o Voluntas non potest incipere velle quod antea non volebat, nisi ab aliquo agente extrinseco moveatur, quia nihil a semetipso incipere potest. Atqui, si voluntas ab aliquo agente extrinseco movetur, eius actiones liberae dici nequeunt. Ergo.

235. Resp., *Dist. min.*, si agens extrinsecum moveret voluntatem necessario, *conc. min.*, secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Et sane, nomine agentis extrinseci, a quo voluntas movetur, vel intelliguntur obiecta extrinseca, quae incurrunt in sensus, vel Deus ipse prima omnium motuum causa. Si primum, illa obiecta numquam possunt movere voluntatem, nisi intellectus rationem bonitatis, et convenientiae in ipsis deprehendat ². At bona particularia ab intellectu apprehensa non movent necessario voluntatem, quia non tamquam *universaliter, et secundum omnem considerationem bona apprehenduntur* ³. Ergo, etiamsi voluntas ab obiecto moveatur, eius actiones non sunt necessariae. Quod si nomine agentis extrinseci ipse Deus intelligatur, Deus quidem voluntatem quoad exercitationem actus, quemadmodum ostendimus ⁴, movet; at nihil exinde contra libertatem inferri potest. Etenim proprium Dei est, ut alibi dicemus, res eo modo movere, qui earum naturis congruit. Atqui voluntas humana eiusmodi est naturae, ut sit libera. Ergo potius necessitas, quam libertas actuum voluntatis cum Divina motione repugnat ⁵.

236. Obiic. 2^o Voluntas ad aliquid volendum movetur ab appetitu sensitivo. Atqui actus appetitus sensitivi sunt necessarii. Ergo idem de actibus voluntatis dicamus oportet.

237. Resp., *Dist. mai.*, semper, *neg. mai.*, interdum, *subd. mai.*, ita ut appetitus sensitivus inclinet voluntatem ad aliquid volendum, *conc. mai.*, ita ut ad se necessario trahat actum voluntatis, *neg. mai.* Item *dist. min.*, actus appetitus sensitivi sunt necessarii, ita ut voluntas eis dominari possit, *conc. min.*, secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Revera nos iam antea ostendimus

¹ Omnes, qui liberum arbitrium homini denegant, *Fatalistae* nuncupantur, quia ipsis commune est illud antiquorum Stoicorum pronuntiatum: *omnia fato feri.*

² Cf p. 161. — ³ Cf p. 170. — ⁴ P. 166.

⁵ 1^a 2^{ae}, q. X, a. 4 ad 1.

voluntatem non in cunctis, sed in quibusdam suis actibus ab appetitu sensitivo moveri, et hanc motionem in eo dumtaxat consistere, quod actus appetitus sensitivi inclinant voluntatem ad hoc, ut moveat intellectum ad considerandam rem potius sub isto, quam sub illo respectu, et proinde ad pronuntiandum potius istud, quam illud iudicium practicum ⁴. At vero tantum abest, ut voluntas ab eis necessario moveatur, ut potius eis, sicut alibi diximus ², dominetur, ex quo fit, ut in eius arbitrio sit prosequi, aut respuere id, ad quod ab appetitu sensitivo allicitur ³.

238. Obiic. 3^o Voluntas ex natura sua fertur ad bonum. Ergo libertate indifferentiae non gaudet.

239. Resp., *Dist. ant.*, ad bonum in universum, *conc. ant.*, ad bona particularia, *neg. ant.* *Neg. cons.* Et sane, uti ex iam dictis satis colligitur, bonum, ad quod voluntas naturaliter fertur, est bonum in universum, non vero hoc, aut quodecumque aliud bonum particulare. Quapropter circa illud libertate indifferentiae destituitur, qua tamen gaudet circa bona particularia.

240. Inst. Volitiones circa bona particularia proficiscuntur ex amore circa bonum in universum, sive beatitudinem. Ergo sicut voluntas ex necessitate naturae fertur ad beatitudinem, ita etiam ad bona particularia.

241. Resp., *Dist. ant.*, ita tamen, ut non habeant cum beatitudine necessariam connexionem, *conc. ant.*, secus, *neg. ant.* *Neg. cons.* Etsi cunctae volitiones circa bona particularia ex naturali amore in beatitudinem oriantur; tamen ex necessitate naturae non proficiscuntur, quia bona particularia necessariam connexionem cum beatitudine non habent, vel, si habeant, sine ipsa considerari queunt ⁴.

242. Obiic. 4^o Voluntas potestatem non habet volendi perinde bonum, ac malum. Ergo non est libera libertate indifferentiae.

243. Resp., *Neg. cons.* Nam voluntas non ex eo libera est, quod aequae velit bonum, ac malum, sed ex eo, quod potest eligere, aut non eligere bonum sibi propositum ⁵.

⁴ Cf p. 164. — ² P. 160. Cf 1^a 2^{ae}, q. X, a. 2 c.

³ I, q. CXV, a. 4 c.

⁴ Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De malo*, loc. cit. ad 8, et ad 9. Cf p. 170-171.

⁵ I, q. LXXXII, a. 2 ad 1.

244. Obiic. 5° Volitiones pendent a cognitione boni, et mali. Ergo sunt necessariae, non liberae.

245. Resp., *Dist. ant.*, pendent tanquam a causa, quae necessario eas producit, *neg. ant.*, secus, *conc. ant.* *Neg. cons.* Re quidem vera, cognitiones boni, et mali, etiamsi, secundum sententiam s. Thomae, quam nos secuti sumus¹, determinent voluntatem, non tamen necessario eius actus producant, quippe quod non sunt causae necessariae; nam, uti antea ostendimus², intellectus ita iudicat de bonitate, et convenientia alicuius obiecti, ut potuisset diverso modo iudicare. Accedit quod causa, cuius effectus impediri potest ab ipsa voluntate, actum voluntatis necessarium non efficit. Atqui cognitioni boni, vel mali « potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem, quae inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum³ ». Ergo actus voluntatis ex cognitione boni et mali, a qua pendent, necessitatem non accipiunt.

246. Obiic. 6° Admissa vera sententia circa originem libertatis, nempe voluntatem ex iudicio rationis determinari, voluntas ex duobus bonis, uno maiori, altero minori, non potest non amplecti bonum maius; et, si ei proponantur duo bona aequalia, neutrum eligere posset, quia nulla foret ratio sufficiens, ob quam voluntas minus bonum maiori, aut inter duo aequalia unum alteri praefereat. Ergo voluntas facultate eligendi destituitur, ac proinde libertate indifferentiae non gaudet.

247. Resp., *Neg. ant.* Sane, voluntati integrum non est eligere aliquid, quod intellectus ultimo suo iudicio practico iudicavit esse minus bonum, ac proinde minus eligibile, quam aliud; at vero potest ipsa efficere, ut illud, quod in se est deterius alio, tanquam melius hoc ab intellectu iudicetur, quatenus magis conducit ad finem, quem spectamus. Ita ii, qui peccant, prosequuntur unum, quod est deterius alio, sed iudicant hoc esse melius, quam illud, quia videtur eis opportunius ad obtinendum finem, quem sibi constituunt. Potest etiam voluntas ex duobus bonis aequalibus unum veluti praestantius altero eligere, nam,

¹ Cf p. 174 sqq. — ² P. 175-176.

³ *Qq. dispp.*, *De malo*, loc. cit. ad 15.

iente s. Thoma, « nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud¹ ». Quod si post istam inquisitionem in neutro inveniat novam aliquam bonitatem, potest voluntas ad unum bonum alteri praefereendum moveri ex eo, quod intellectus exhibet ei, tanquam bonum, exercitationem propriae libertatis.

CAPVT VI.

De facultate locomotiva

248. Facultas *locomotrix* est quaedam specialis facultas organica, qua anima movet de loco in locum corpus, cum quo ipsa coniungitur.

ART. I. Quodnam sit principium motuum localium

249. Facultatis locomotricis existentia demonstrari non potest, nisi prius definiatur, undenam principium motionum localium² repetendum sit.

Prop. 1°. *Motus locales soli corpori attribui non possunt.*

Probatur praecipue contra Cartesium, et Leibnitium. Motus locales sunt operationes *vitales*, et *vivens* esse debet illud principium, a quo ipsi promanant. Atqui corpus, prout est corpus, esse non potest principium vivens. Ergo motus locales soli corpori attribui non possunt.

250. *Maior* ita demonstratur: Compertum est motus locales ita exerceri, ut animalia *seipsa moveant*, non ab alio moveantur, quia in illis, quae ab alio moventur, motus determinatus esse debet, dum e contrario animal ad unum aliquem certum motum localem non determinatur, sed ad unum, perinde ac ad alium, se habet, et a motu semel incepto cessare etiam potest³.

¹ 1^a 2^{ae}, q. XIII, a. 6 ad 3.

² Motiones, quibus corpus de loco in locum progreditur, *locales* appellantur, ut distinguantur ab *iis*, in quibus corpus locum non mutat, cuiusmodi sunt illae motiones, quae in corpore animalis, prout est vegetans, eveniunt.

³ Cf s. Thom., *In lib. VII Physic.*, lect. VII.